



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE*CUM INSTA*TUA B. M. V. DE FATIMA, QUAE
STETTINI IN PAROECIALI

ASSERVATUR TEMPLO IMMACULATO CORDI MARIAE DEDICATO,

PRETIOSO DIADEMATE REDIMITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Cum in Ecclesia Sedinensi-Caminensi

recens condita nullum adhuc ex sententia Sanctae Sedis sit simulacrum aliqua corona redimitum, idcirco venerabilis Frater Casimirus Majdański, illius dioecesis pastor, sua suique cleri ac populi vota expromens, petiit ut auctoritate Nostra sibi liceat diadema imagini B. M. V. de Fatima imponere, quae Stettini in paroeciali Immaculate Cordis Mariae templo religiose asservatur amanterque a fidelibus excolitur. Quare Nos, qui vehementer cupimus ut B. M. V. cultus ubique inter fideles maxime excitetur assidueque alatur, cum preces Nobis adhibitae audiendae quidem videantur, harum Litterarum virtute memorato Episcopo Sedinensi-Caminensi potestatem libenter facimus ut idem Beatae Mariae Virginis de Fatima simulacrum, quod diximus, Nostro nomine et auctoritate ipse pretiosa circumdet corona, servatis de ritu ac formula praescriptis. Contrariis quibuslibet haud obstantibus. Has Apostolicas Litteras Nostras hodie ad perpetuam rei memoriam expediri volumus, in Deum pergrati omnipotentem, qui Mariam dedit fidelibus matrem, ab eoque enixe petentes ut, ipsa intercedente, omnibus salutem concedat et pacem. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XVII mensis Ianuarii, anno MCMLXXXVI, Pontificatus Nostri octavo.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright

1986 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana